

D F N

1604



00
1A
0020

+



DISPUTATIO BIBLICA XXIX.
De XXXIX. Capite Gene

seos, ad privatam συζήτηση
proposita

SALOMONE GESNERO, S. S.
THEOLOGIAE DOCTORE ET PRO-
fessore publico, in Academia
Vitebergensi,

De qua

Die 21. Novemb. Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

MATTHIAS HOE, NOBILIS
Austriacus.



VV I T E B E R G A E,
Imprimebatur Typis Meißnerianis,
M. D. X C I X.

NOBILISSIMO IUVENI-VIRO
MAXIMILIANO HOE &C.
AVSTRIACO.

Fratri Germano, dilectissimo,
S. D.

Felices anima! quarum **CONCORDIA** corda
Conjunct nullo dissoluenda die!
Felices **FRATRES!** quorum, **DISCORDIA**, corda
Non ullo cepit dissociare loco!
Nomino NOS: Fratrem quem **MAXIMILIANE** Perennis
Diligis, hoc **EGO TE** rursus Amore colo.
Ut sic in bino mens corpore splendeat una,
Et concors fratrum sit sine fine sonus.
Symbola dent alij numerosa talenta: Papyro
Quid n̄ contenti simus **VTER Q;** sacrâ.

Fr. T. ex animo in eternum

M. H. A.
Respon.

Capit 39. Thesis 1.

Hactenus quasi per *παρενόμιον* incestus Iudæ fuit commemoratus, iam ad historiam Iosephi Moses redit, deq; eo in hoc capite tria commemorat, primo quæ ratione Dominus illi apud Potipharem benedixerit, deinde quomodo ab heræ lascivæ fuerit adamatus, deniq; quo pacto falsissimè accusatus & in Vincula coniectus.

Primum membrum de Iosephi fideli & felici servitio apud Potipharem.

2. Principiò Moses è capite 37. repetit, quo pacto Iosephus ab Ismaëlitis in Ægyptum adductus & Potiphari venditus sit, de qua re supra dictum est.

3. Deinde ut manifesto hoc exemplo comprobetur, Dominum custodire advenas & peregrinos, Psalm. 146. 9. idcirco præsentiam suam, favorem & protectionem Deus Iosepho multiplici benedictione palam testatur.

4. Sic enim ait Moses: *Fuit Dominus cum eo*, quibus verbis non modo Univerſalem præsentiam, qua Deus etiam impijs adest Psalm. 139. Act. 17, sed specialem notat, qua suos fideles & dilectos filios intimè complectitur Ioh. 14. Psalm. 91. Sicut Abrahamo promissum est, Gen. 12. 2.

5. Idq; Deus multis beneficijs testatum facit. Quandoquidem omnia instituta Iosepho feliciter succedunt, quod equidem non fortuitò & casu sed divina gubernante providentia factum est. Atq; ita licet adhuc juvenis annorum XVII. attamen est iuxta Mosen Ischmazilach vir fortunatus, felix & beatus. Psalm. 1. Vir nimirum virili prudentia, nondum ætate.

6. In domo domini sui Potipharis habitare dicitur respectu exterorum servorum, qui in agris & villis versati sunt, cum interim totius rei familiaris cura Iosepho commissa esset: ut mox verum explicatur: eademq; hæc verba indicant, quàm charus heri ille fuerit, ut nimirum contubernio eiusdem domus non indignum haberet. Placet alijs, quòd hac sententia indicetur, Iosephum, licet liber esset & fraudulentè à fratribus venditus, fugam tamen non meditatus sit, sed apud herum libenter manserit.

Quest. 1.
de præsentia Domini apud Iosephum.

Quest. 2.
de eo quòd Iosephus vocatur vir.

Quest. 3.
quomodo Iosephus habitaverit in domo domini sui.

7. Adhuc etiam causa, quod nimirum herus re ipsa depræhenderit & viderit, Dominum esse cum Iosepho.

8. Vbi autem queritur, quali notitia herus illud sciverit? Ac quod

Quest. 4. Potiphar non fuerit præditus fideli agnitione veri Dei & spiritu-
Quo pacto alium ipsius honorum, ex sequentibus manifestum est, quod nimirum
Potiphar rum non ita præcipitanter in Iosephum sæviturus alioquin fuisset.

sciverit, Io- 9. Relinquitur itaque, quod ἀμύδῃ illa & συγκεχυμένη notitia,
sephum di- tum ipse tum eius familia depræhenderit, Deum hunc servum
vinitus be- singulari favore complecti.

medici. 10. Qualem Dei notitiam Paulus Rom. 1. 19. infidelibus ethnicis attribuit, ubi ait, illis id, quod cognosci potest de Deo, manifestum fuisse, Deumque eis manifestasse &c.

11. Hanc itaque ob causam Potiphar in iudicio Dei est inexcusabilis & ἀυτοκατάκριτος, cum propria attestante conscientia fateri cogatur, beneficia in Iosephum suamque familiam à vero Deo Israël, quem tamen ille non ut Deum colit, proficisci.

12. Simulque Moses hac oratione magnitudinem beneficiorum Dei commendat, quod non fuerint vulgaria, & obscura, sed singularia & conspicua, ita, ut nemo inficiari posset, illa à solo Deo

Quest. 5. collata esse.

quo pacto 13. Hinc adeo factum, ut Iosephus gratiam inveniret in oculis
Iosephus ex heri sui, id est, ut in precio apud illum esset, sicut de centurionis
herilium bo servo dicitur, ἢν αὐτῷ ἐντίμητος Luc. 7. 2. Atque hæc causa erat, ob
norum locu- quam Dominus homini alioquin impio benefaciebat, ut nimirum
pletatione Iosephus hero clemente uteretur.

commodum 14. Et porro etiam illud inde consecutum, quod Iosephus ad
perceperit. ea ministeria adhibitus est, quæ herus alijs committere tuto non potuit. Id enim significat ἐμφοσίμη particula, *serviebat ei.*

15. Quin tertio ad declarandum animum suum erga illum universæ domui seu rei familiari præfecit, ita ut Iosephus reliquorum omnium ἐργασίων κτλ. esset.

16. Ad hæc omnia, quæ illi erant, tradidit in manum eius, non

Quest. 6. equidem ut illa possideret, sed ut administraret, non ut dominus,
Cur Deus sed ut œconomus, qualis erat Eleazarus apud Abrahamum,
voluerit Io- Gen. 24.

sephum præ- 17. Atque hoc etiam divinam providentiam factum est, ut nimirum
fici familia Dei benedictio eò fieret conspectior & illustrior. Nam si alius
Potiphari. rei

rei familiari præfuisse, eius industriæ opum incrementum adscribi potuisset: iam cum Iosephus toti domui præsit, certum est, Deum propter Iosephum homini ethnico benefacere. Ita ut Dei benedictio, quemadmodum Moses loquitur, in omnibus, quæ erant Potiphari, domi & ruri, palàm deprehenderetur.

18. Quamobrem Deus sæpe propter pium servum benefacit im-
pio hero, ut etiam Labano accidit: quemadmodum contra vni-
us aut alterius improbi hominis culpam tota communio luit, *Quest. 7. utrum alie-
na fides im-*
Gen. 18. 1. Cor. 11.

19. Unde verò non sequitur, quod remissionem peccatorum, *petret re-
iustitiam & vitam æternam suis meritis alter alteri à Deo impe-
missionem*
tret. Multum equidem valet deprecatio iusti, Iacobi 5, in obti-
peccatorum,
nendis ijs bonis, quæ præsentem vitam attinent, imò in exorandis *sicut alia*
quoq; donis spiritualibus, fide, constantia & similibus: Sed quoad *bona corpo-
iustitiam coram Deo, iustus sua, non aliena fide vivit Abac: 2. valia & spi-
ritualia.*

20. Dignum est observatione, quòd Chaldaicus paraphrastes *ritualia.*
hanc benedictionem verbo Domini adscribit. Sic enim ait On- *Quest. 8.*
kelus: Et factum est verbum Domini in auxilium Ioseph &c. *quod bene-
dictio ad-*
Et vidit dominus eius quod erat verbum Domini in auxilium *scribitur*
eius. Communis autem est doctorum sententia Chaldaicum per *Verbo Do-*
verbum Domini τὸν λόγον filium Dei intelligere.

21. Addit deniq; Moses in prædicanda divina benedictione: *mini.*
Potipharem reliquisse omnia sua in manu Iosephi, & non novis- *Quest. 9.*
se quiequam cum ipso, præter panem, quem comederit: quæ *de varijs in-
terpretatio-*
verba alij aliter exponunt.

22. Nam Rabini ad cibum referunt, quasi Ioseph omnia alia *nibus ver-*
in domo Potiphari curasset, præter cibum, eo quod Ægyptij *seculi 6.*
cum Iudæis non vescebantur, ut infra cap. 43. 32. Sed violen-
tam hanc esse detorsionē nemo non videt: & quomodo Iosephus
omnibus domi & ruri præfectus fuisse dici posset, si rem culina-
riam eius præfectura non complexa fuisset?

23. Frivolum planè & nugatorium est, quod per panem non-
nulli vxorem intellectam volunt. Licet enim infra Vers: 9. Iosephus ipse dicat, omnia sui heri bona suæ fidei commissa esse, excepta vxore. Hic tamen de ea re verbum est nullum.

24. Ineptum deniq; quod quidam existimant hæc verba eam vim habere, quasi Iosephus nihil comederit præter panem, sicut Daniel eiusq; socij oleribus victitârunt. Dan. 1.

A 3

25. He-

25. Hebræum textum aspicienti res est in vado. Nam verbum Iada significat cognoscere, attendere, observare, & hoc vult dicere Moses: Potiphar animadversa servi fidelitate, totam molem curarum domesticarum in ipsum coniecit, ita ut vnâ cum Iosepho nullius ille rei curam communem haberet, neque rationes exigeret acceptorum & expensorum, neq; etiam sciret, quantæ suæ facultates essent. Idemq; e versiculo 8. planissime patet.

26. Hoc Vnicum ipse suum esse putabat, ut quotidie genio indulgeret & cuticulam lautissimo cibo curaret. Panis enim appellatione hebræi omnem cibum etiam delicatum intelligunt.

27. Referendum proinde hoc encomium est partim ad celebrandam Dei beneficentiam, partim ad commendandam Iosephi fidelitatem, & industriam. Vituperium enim Potiphari ultrô cui libet se offert.

*Quest. 11.
de fidelitate
Iosephi.*

28. Cui enim herus inducitur οὐκαλέγων ἢ πάντεσσι ἀμέριμνος, inde liquet, non hominum sollicitudini, sed divinæ gratiæ facultatum amplificationem acceptam ferri debere: Psal. 127. Matth. 6.

29. Quanto verò maior est Potiphari in curandis rebus proprijs negligentia, tantò celebrior Iosephi in administrandis alienis fidelitas: quæ quidem omnibus servis & alienarum facultatum curatoribus, quæstoribus, præfectis, œconomis, imò si ἀρχισυντακτοῦσιν accipiamus, verbi ministris, & denique omnibus hominibus suo in ordine exemplo esse debet, ne sint ὀφθαλμοὶ ἀλοῖ Eph. 6. neve bona herilia dissipent, sed rationem Deo, omnium arcanorum conscio, aliquando reddendam esse persuasum habeant Matth. 18. Luc. 16. 1. Cor. 4.

30. Atque hæc quidem omnia eo pertinent, ut videamus, quem fructum divini favoris Iosephus in exilio perceperit, quod nimirum propter ipsum herus in re aucta & lauta divinitus fuerit constitutus, quæ res ipsi singularem domini gratiam & favorem conciliavit, ut ipse testis est vers. 8. 9.

*Quest. 12.
curam Iosephus à Potipharo literarum studijs adhibuit.*

31. Iosephus ita hoc explicat: Potiphares Ægyptius habuit Iosephum liberaliter, quem & disciplinis ingenuorum erudiendum curavit, & victu commodiore, quam pro servili conditione, uti præcepit: deniq; totius domus curæ præposuit.

32. In qua quidem oratione Iosephi cætera veritati videntur consona, præter illud, quod de institutione Iuvenis commemorat.

rat. Dubium enim non est, Iosephum à patre & avo verbi Dei bonarumq; artium & literarum cognitione egregie imbutum fuisse, & Θεοδιδάξιν insuper accessisse, sicut Psal. 105. dicitur: Eloquium Domini inflammavit eum, &c. ita ut literarum & ingeniarum artium notitiam illum potius in Ægyptum attulisse, quam ab Ægyptijs accepisse credibile sit.

Secundum capituli membrum de tentatione Iosephi castitate.

33. Atque hæc quidem de Iosephi felicitate, iam de tentatione secundo capituli membro differitur: ubi multo maior elucescit Iosephi virtus, quam antehac in regenda herili domo. Plus enim est, ut ait Ambrosius, quod Iuvenis se rexerit, quam quod Potipharis domum, & quod Pharaonis imperium. Occasio tentationis fuit, quod Ioseph liberali forma fuit præditus, de qua Moses: *Erat pulchra facie & decorus aspectu.* Animus nimirum elegans eleganter habitabat, & iuxta Theodoretum Serm: 8. de Provid. corporis quidem formam splendidam, animum verò multò splendidiorem habuit: cuius genas prima lanugo obrepens & instar coronæ ambiens vestiebat, & facies formæ splendorem decore mixtum ac ingenuitate temperatum emittens pudorem fronti, sua delam labijs insidentem gestabat. Sic ille.

34. Quæstio est, an formæ præstantiam Deus immediatè vel mediatè Iosepho contulerit? Cum autem è Rachele matre formosa sit genitus, consentaneum videtur, naturæ vim, non tamen absque Dei ocella operatione, hoc præstitisse. Liberos enim parentibus esse similes naturæ convenit. Arist. lib. 1. de gener. an: cap. 19. Auxit formæ nitorem conscientia tranquillitas & hilaritas à spiritu sancto excitata.

35. Cum autem diabolus hinc ansam arripuerit, ut sanctum Iuvenem omnibus fortunis everteret, inde constat, formam, robur & alias corporis dotes, esse quidem peculiaria divinæ benignitatis dona, sed multis & varijs periculis exposita, ob Satanæ, mundi & propriæ carnis insidias, quæ res veterum & securitatem nobis excutere, ad assiduas verò preces & sobrietatem nos excitare debent. Petr. 5. ut custodes nos nequaquam domino donorum Dei constitutos esse meminerimus Matth. 25.

36. Licet

*Quæst. 13.
quid de forma
& alijs
dotibus corporis sentiendum.*

36. Licet autem Iosephus diligentissimus suæ formæ & castitatis custos fuerit, attamen insultus immundi spiritus evitare non potuit. Quandoquidem eius instinctu hera ipsius, Vxor Potipharis, oculos in adolescentem coniecit.

Quest. 14.
de tempore.

37. Factum id esse non ilico, cum in Ægyptum venisset, sed post multos dies perhibet Moses, ut ostendat, Iosephum tanquam emptitium servum ab initio fuisse contemptum, postea verò cum beneficentia Dei suaq; virtute emerisset, inq; totius familiæ oculis & ore versaretur, heram procaces in eum oculos coniecisse.

Quest. 15.
quid sit, con-
jecit in eum
oculos.

38. Oculos in eum iniecisse dicitur, ut innocentia Iosephi & procacitas dominæ inde pateat, avertendi enim erant oculi ne vidissent vanitatem Psal. 118 & pactum, exemplo Iobi, cum illis ineundum Iob. 31, neque concupiscentiæ oculorum indulgendū fuisset. 1. Iohan. 2. Nam ut ait Augustinus Serm. 83. de tempore, crimen dominæ fuit, quæ malè vidit, non beati Ioseph, qui malè videri non voluit. Bene excusavit eum scriptura dicens, immisit oculos uxor domini in Ioseph, hoc est, non iste se ostentavit, &c.

39. Nam etsi hera ante hac quoque Iosephum quotidie aspexerat, nunc tamen oculos in eum iniecisse perhibetur, quando libidine erga illum exarsit. Sicut David in Bethsebam, Amnon in sororem Absalonis; Senes illi duo in Susannam oculos impudico amore turgidos converterunt,

Quest. 16.
an mulier
ilico de con-
cubitu Iose-
phum com-
pellarit.

40. Ac quemadmodum illa immodicæ libidinis flammis oculis prodit, ita quoq; linguam non potest diutius cohibere, Sed ad Iuvenem ait: *Dormi mecum.* Siquidem è corde promanant adulteria, scortationes &c: Matth. 15. Et prima adulterij tela, ut ait Augustinus, sunt oculorum, secunda verborum, Et prorsus est credibile illam multis antea illecebris Iosephi animum tentasse, quàm in hanc impudentissimam orationem prorumperet.

41. Digna verò est hæc *νοβομαχία* diligenti contemplatione; cōgrediuntur enim duo athletæ de castitatis brabeio conflicturi, alter armis Spiritus sancti instructus Eph. 6. altera ignitis telis diaboli. Sed longè alium hæc *συνδρομή* sortitur exitum, quàm ille nocturnus conventus vecordis iuvenis cum lasciva muliere, quem Salomon se de fenestra domus suæ per cancellos conspexisse tradit Prov: 7.

42. De

42. De illo enim perhibetur, quod ab eâ captus & ductus fuerit, tanquam bos ad victimam. Hæc autem fera quovis reti fortior fuit, & fixam sibi retium indaginem facile transiit, ut ait Theodoretus. *Quest. 17. de oratione Iosephi ad heram.*

43. Et proinde, servitutis legibus longum valere renuncians consularij & doctoris officium subit, ac impudentem mulieris flagitationem quatuor potissimum argumentis detestatur.

44. Principio quidem domini sui de sua fidelitate conceptam fiduciam prædicat: Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua, quasi diceret, iniquissimum foret, me herum, qui tantam de meâ sinceritate spem ac fiduciam concepit, tam nefariè decipere, quod non nisi sceleratissimi quique faciunt, vel, ut Theodoretus reddit: Minimè prædonem pro fideli custode me effici patiar.

45. Deinde eiusdem beneficia in se celebrat: Nec quicquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, hoc innuens, ingratisimi esse nebulonis pro maximis beneficijs flagitia reponere. Hebræus textus, et Onkelus ita habent: Ne ipse quidem maior est in domo hac, quod de *ἰππεὶ οὐκ* non domini, sed administrationis, in qua herum præcedebat Iosephus, intelligi debet.

46. Tertio dominam legum conjugialium admonet, dum ait, omnia in meam tradita sunt potestatem, præter te, quæ uxor eius es, quæ verba ita reddit Theodoretus: Iugum subiisti, o heram, iugum ergo studiosè ama. Lora ne disrumpas, nec ea, quæ foris sunt, respice: sed coniugij adhærere studeto. Connubiales leges & naturæ terminos ne dehonestes, nec thorum à Deo honoratum contumeliâ afficito.

47. Postremo denique metu Numinis illam ab instituto deterrete conatur, cum ait: quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum. Nam in hebræo textu est Elohimi, quod ostendit, Iosephum de Deo & cœlesti Domino non de hero & terreno domino loqui.

48. Theodoreti hic quoque pulchra est paraphrasis: Non vides, inquit Iosephus, quem ego video. Nam tu quidem affectibus ebria es: ego verò ebrietatem illam non admisi, qui totius huius machinæ gubernatorem video, qui singulâ, quæ fiunt, perspicit, &c.

B

49. Nisi

49. Nisi mulier prorsus insana esset, debuisset equidem tantis argumentorum ponderibus deterreri: sed tantum abest, ut se emendari fineret, ut potius huiuscemodi turpissimis verbis quotidie adolescentem aggredere, eiq; molesta esset, quibus tamen animum eius invictum expugnare non potuit. Nam ille non modò concubitus detrectavit, sed propè eam accedere, cumq; ea colloqui & conversari recusavit, non modò peccatum sed occasionem quoq; studiosè fugiens. Nam vitare peccata est vitare occasiones peccandi.

Quest. 18. 50. Vbi sanè quæstio emergit, cur non Iosephus rem omnem *Cur Iosephus* hero detexerit, ut semel hoc periculo defungeretur? Sed multa *hero suo nõ* sunt, quæ ipsum ab accusatione heræ retrahebant, charitas nimirum, quæ emendationem sperabat, dominæ observantia, coniugij reverentia, periculi metus, & quod testimonijs destituebatur, dominumq; vxori quam servulo plus fidei habiturum non dubitabat.

Quest. 19. 51. Hucusq; verbis certatum est: iam vi res geritur. Nam *De die, quo* iuxta Ambrosium in libro de Ioseph. cap. 5. quatuor spicula mulier *Iosephus ad* vibravit, unum oculis, alterum verbis, tertium assiduitate & *concupitum* pertinacia, postremum violentia. Accidit enim die quodam, *postulatus.* ut Ioseph intraret domum, & operis quippiam absq; arbitris faceret, iuxta Hieronymi Versionem.

52. Hebræus textus peculiarem quendam diem innuit, & factum est, inquit, in die isto: vnde Rabini perhibent, fuisse festum diem, quo ad publica Sacra omnes domestici domo digressi fuerint. Iosephus ita recenset: Publico festo instante, cuius celebritatem fæminas quoq; frequentare mos erat, mulier morbum fingit apud maritum, captans solitudinem & ad Iosephum sollicitandum oportunitatem, &c.

53. Certum est ex hebræo neminem domi fuisse, sic enim Moses hebraicè ait: & nemo hominum fuit in ædibus.

Quest. 20. 54. Cur autem Iosephus in id periculum se coniecit, ut absq; arbitris domum ingrediatur, in qua lasciva erat Siren? Censent aliqui hoc imprudentiæ adscribendum esse, quod nemo ad omnes *Cur Iosephus* diaboli insidias semper vigilare possit. Sed textus id fermè innuit, *absentibus* Iosephum ignorasse, mulierem intus latitare: ac, si vera est Rabiorum opinio, existimavit ipsam quoq; cum familia ethnicis factis interesse.

55. Cau-

55. Causam verò illum habuisse vehementer urgente, quæ nul- *Quest. 21.*
lam moram pateretur, necesse est. Hebræus textus in genere ait: *Quid operis*
ut faceret opus suum. Onkelus speciem operis exprimit, ut in- *Iosephus*
vestigaret, inquit, scripturas rationis suæ, id est tabulas accepto- *fecerit.*
rum & expensorum: quod in medio relinquimus.

56. Illud sanè perspicuum est, Mosen his ipsis verbis Iosephum
excusare, quod non temeritate Iuvenili discrimini sese commise-
rit, sed officij sui partes secutus inque suâ vocatione versatus
fuerit. Vnde Augustinus: Excusatur quod ingressus est, prædi-
catur, quod elapsus est.

57. Hæc itaque tam oportuna diuque exoptatâ occasione po-
sita mulier instar effrenis beluæ in adolescentem insilit, ut Chry-
sostomus ait hom: 62. & apprehensâ laciniâ vestimenti ait:
concumbe mecum. Iosephus autor est, mulierem primò precibus &
lacrymis postea minis usam esse.

58. Verùm ille cum rationibus & verbis nullum iam amplius
locum apud adulteram superesse, & præterea se omni testium ad- *Quest. 22.*
miniculo destitutum animadverteret, non diu moratus, fugam *De abiectio*
capescit, Contagium enim iudicavit, iuxta Ambrosium, si diu- *pallio.*
tius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incentiva transi-
rent. Itaque fugit, relicta in manibus fæminæ tunicâ seu veste:
interulam Iosephus appellat.

59. Pallio abiecto iuxta Theodoretum nudus aufugit solo tem-
perantiæ seu castitatis vestimento amictus. Et, secundum Augus-
tinum, reliquit tanquam non sua, quæ adultera manibus detine-
bat, & aliena iudicavit, quæ tactu impudicæ potuerant appre-
hendi.

60. Sponte tamen illum vestem abiectis textus non est con-
sentaneum, sed istud potius, quod tam tenaciter illa pallium
ulnis innexuerit, ut nullo conatu Iosephus exolvere posset, quæ
res insanum mulieris furorem indicat.

61. Eleganter quærit Augustinus de amore istius adulteræ: a- *Quest. 23.*
mabat illum an potius se? Ego puto, inquit, quia nec illum, nec *qualis amor*
se. Si illum amabat, quare volebat perdere? Si se amabat, quare *fuerit mu-*
quærebat perire? Ecce probavi, quia non amabat: Veneno li- *lieris.*
bidinis ardebat, non flamma charitatis lucebat.

62. Pulchrè Chrysoströmus hom: 62. Iosephi certamen cum trium

puerorum in fornace Babylonica miraculo comparat & ait: Non tam admirabile in fornace Babylonica mihi videtur esse tres Iuvenes & illæfos permanere quàm admirabile hoc & rarū, quod admirabilis iste Iuvenis retinetur vestimentis ab pollutâ illâ & lascivâ, & non detinetur. Nudus exit vestibus, indutus autem continentix vestimentis, & quasi ab incendio & fornace illæsus effugit, & non modò non adustus, sed multò fulgidior & clarior factus.

63. Cernuntur ex hisce' omnium quidem virtutum in Iosepho præclara specimina, utpote reverentiæ divini numinis, observantiæ erga herum, fidelitatis, gratitudinis, constantiæ, modestiæ, summæ sapientiæ & eloquentiæ, &c. sed imprimis castitas & continentia admiratione digna est.

Quest. 24. 64. De qua quæritur, an tantam laudem mereatur in homine pietatis veræq; religionis studijs ab ineunte ætate imbuto, cum in ethnicis quoque similia continentix exempla occurrant?

de differen-
sia inter ca. 65. Nā Peleus abstinet à Creteide Acasti regis Magnetum vxore, quæ ipsius concubitum ambiebat, Scipio se cohibet ab Alucii captivâ sponsâ, Pausanias à capta Coa, Hippolytus fugit consuetudinem novercæ, Alexander averfatur filias Darij &c. quid præ hisce exemplis peculiare habeat castitas Iosephi meritò perpenditur.

stitem
Iosephi &
gentium.

66. Ac tametsi heroica eiusmodi exempla laude & admiratione digna sunt, ut peculiaris Dei dona, quibus etiam impios afficit Matth. 6. Attamen Deo placere illorum castitas fide destituta non potuit Ebr. 11. Itaque inter illorum & Iosephi continentiam evidentissimum discrimen facit primò Peculiaris Dei præsentia & inhabitatio de quâ supra, deinde fides, deniq; causarum diversitas.

67. Abstinent illi heroicis naturæ dotibus retenti, & consideratione ignominix, quam rebus à se præclare gestis corâ sapientibus aspersuri essent, si in libidinem præcipites ruissent, considerant quoque pœnas temporales, quæ adulteros & Scortatores commitantur, imprimis laudem continentix venantur.

68. Sed Iosephus non tantum hæc ante oculos habet, sed prælucente in animo ipsius illustri flamma veræ fidei multo magis ipsum Deum, pœnasq; temporales & æternas, contemplatur, suaq;
continentiâ

continentiã cavet ne Spiritum sanctum efficiat & se donis illius ac promissionibus divinitus factis spoliet, Ebr. 12. 1. Cor. 6. cum sciat fornicationem auferre cor Os. 4. & destruere templum spiritus sancti, & sine castitate neminem posse videre Deum Ebr. 12. Ephes. 5. Gal. 5.

69. Quamobrem consideratio gloriæ Dei & sui ipsius nec non proximi & ecclesiæ, cui exemplo nocere, & calamitatem accerere veretur, in Iosepho hanc admirabilem virtutem accendit.

Quest. 25.

70. Postremo quod Iosephi continentia non sit opus humanarum virium, sed divinæ gratiæ & protectionis insigne miraculum, è collatione cum Adamo & Eva ostendit Theodoretus, qui Iosephum heram suam ita alloquentem inducit: Quæ à mei officij jure excepta sunt, non tango: nec Adamum progenitorem imitor, qui cum omnium plantarum & arborum potestatem accepisset, in eam tamen manum extendit, quæ sui juris & dominij non erat, & dum unicam illam appetit, ab omnibus simul excidit.

qui fiat,
quod Iosepho
se conti-
neat, cum
Adam &
Eva à po-
mo se non
abstineant.

71. Si quis proinde percontetur, unde tanta fit in Iosepho abstinencia in statu corrupto, cum primi parentes in statu integritatis manus & ora à vetito fructu non abstinerint? ei nihil aliud respondere possumus, quàm in Iosepho singulare & ἐξαιρέτων castitatis speculum esse propositum, quod quidem Deus peculiari sua præsentia & favore operatus est, sicut supra dictum fuit, Dominum cum Iosepho fuisse: Ac si primi parentes in statu innocentia suis viribus decus suum tueri non potuerunt, multò minus post lapsum Iosephi viribus adscribendum est, quod penè angelicam castitatem præstitit.

Postremum capituli membrum de accusatione & incarceratione Iosephi.

72. Cum diabolus nullis illecebris Iosephum in peccati casses & laqueos pertrahere posset, deinceps hostili odio illum persequitur, ejusq; famæ, fortunæ & vitæ exitium struit. Ita enim solet alias à sinistris, alias à dextris pios aggredi.

Quest. 26.

73. Nam hera cum tunicam ab illo relictam penes se haberet, muliebri astutiã, quæ nulla est major, ansam eum calumniari

de varijs
adultera in
Iosephum
injurjs.

di & accusandi hinc arripuit. Ac primò quod celare debebat, ut ait Ambr: ipsa prodit, elatque voce convocata familiam applausum sibi conciliat apud eos, qui procul dubio eminentiæ & dignitati Iosephi, utpote hominis peregrini, alioquin infensi erant, quod quidem primum est crimen, quod innocentem apud domesticos nefariè traducit, ejusque autoritatem penitus proculcat, Vers: 13. 14.

74. Deinde calumniæ varia addit mendacia, utpote quod Iosephus ipsam de stupro sollicitaverit, quodque ipsa clamaverit, Versu 14. Et argumentis ad hoc probandum utitur vaferrimè confictis, primò nuper introductus, nec dum satis probatus est: deinde est Hebræus, quæ gens omnibus invisâ mortalibus, præcipuè Ægyptijs: Gen: 43. 32. tertio vltro à nemine vocatus absentibus cæteris in ædes se ingressit: quarto fugit & tanta quidem trepidatione, ut pallium relinqueret. Ergo pudicitiam mæstruxit insidias: quinto clamavi voce magnâ, ergo vim ab illo sum perpeffa: Sexto apud maritum addit etiam istud, quod nimis delicatè & liberaliter fuerit habitus. Hi sunt colores, quibus picta & amicta calumnia in medium procedit,

*Quest. 27.
de casto &
impuro a-
more.*

75. Vbi quidem in primis observari debet discrimen inter castum & impurum amorem. Nam ille perpetuam fovet & alit benevolentiam, iste verò simul ac deserbuit in fel & acerbissimum odiû convertitur, sicut in Ammone 2. Sam. 13. & in hac meretricula apparet. Nec mirum, cum ille à Spiritu sancto, hic à diabolo, qui homicida est, proficiscatur.

76. Ac quemadmodum apud servulos & ancillulas, ita apud maritum quoque impudentissimum scortum adolescentem traducit vers 16, 17, 18. & ita quidem, ut ipsum quoque Potipharem perstringere non vereatur, quasi ille nimia erga Iosephum mansuetudine insolentiosem eum fecisset vers. 17.

*Quest. 28.
de creduli-
tate Poti-
phari.*

77. Dominus Zelotypiam accensus nimiaque credulitate deceptus uxori fidem habet, & eum, cuius vox quidem non audiebatur, innocentia autem loquebatur, secundum Ambrosium, antequam in iudicium vocet, præcipiti iracundia privatim condemnat: non auditâ parte alterâ, non etiam examinata accusatione, vers. 19. nimirum ipse pars & iudex. Vnde in eum quadrat: Qui cito credit, levis est corde Syr. 19.

78. Nam si rem paululum saltem expendere voluisset, facile potuisset

euisset intelligere, vestem detractam adolescenti non esse indicium ad stuprum pertrahentis sed potius pertracti, ut Philo ratiocinatur. Nam si vim intentasset Dominæ, retinisset, (illâ nimium reluctante & fugiente) eius amiculum, nunc cum ipse suo pallio spoliatus sit, ex eo patet, quod ipse reluctatus fuerit.

79. Veniam tamen illi dandam Philo censet, quod degens inter fumos & cineres cognitioni causæ minus idoneus fuerit. Verùm iocus hic est potius, quàm seria ratio.

80. Potiphar enim non uno nomine vehementer vituperandus est, 1. quod servum, cuius fidem multis modis perspectam habebat, & cuius causa se innumeris beneficijs divinitus affectum esse non ignorabat, incognitâ re ilicò ad carcerem condemnat, vers. 20. 2. quod pro fidelis servitio pessimam gratiam rependit, Prov. 17. Sap. 17. 3. quod impudicæ mulieris dicta non examinat, neq; rem altius indagat.

81. Verùm stultitiæ & præcipitantæ, ingratitude, ac iniustitiæ suæ meritas luit pœnas, primo quod seipsum optimo servo spoliat, deinde quod scortum tanquam viperam in sinu fovet, & deniq; quod progressu temporis cognitâ Iosephi innocentiam palam ignominiam afficitur.

Quest. 29.

an Potiphar

improbe

tulerit.

82. Divinæ verò providentiæ opus est, quod Potiphar furore Zelotypiæ correptus non ilicò Iuvenem mactat, cum miles esset, neque in exilium eiecit, sed in carcerem compingit.

Quest. 30.

qui factum

quod Iose-

phum Po-

tiphar non

interemit.

83. Fuit autem carcer, ubi vincti regis tenebantur, fontes mirum, qui in regem deliquissent & supplicio afficiendi essent, ut sequenti capite patebit.

Quest. 31.

de carcere

Iosephi.

84. Et quàm durus fuerit Iosephi carcer David Ps. 105. indicat: Humilaverunt in compedibus pedes eius, ferrum penetravit animam eius. Sed o verè beatum in carcere, qui subit pro castitate martyrium, ut ait Ambrosius.

85. In hac nova calamitate constitutus Iosephus non stomachatur & murmurat contra Deum, neq; de vindicta cogitat, neq; fugam meditat, sed iudicium Deo committit, & crucem sibi impositam patientissimè portat, Dominum interim assiduis precib. invocans, juxta mandatum: Invoca me in tribulatione &c. Ps: 50.

86. Ac cum Dominus propè sit ijs, qui tribulato sunt corde, Ps: 34. ideo Iosepho quoq; in carcere præsto est, ut Moses vers: 21. asserit, & cor magistri carceris ad benignitatem erga ipsum flectit.

fectit. Visitat enim Deus & in carcere suos: & ideo ibi plus
auxilij ubi plus periculi. Sed quid mirum, si visitat Deus in
carcere positos, cum seipsum in suis in carcere inclusum esse me-
moraverit Matth: 25. Ambr.

87. Idcirco omnibus vinctis & in carcerem ob veræ religionis
confessionem vel alioquin innocenter coniectis exemplum Io-
sephi documento & solatio esse debet. Quo enim non penetrat
divina misericordia.

88. Invenit Ioseph tantam gratiam, ut qui fuerat clausus in
carcere, ipse potius claustra carceris servaret, cederet munere
clavicularius, iuxta Ambrosium, eiusq; fidei carceris custodiam
reiq; familiaris curam tuto committeret.

F I N I S.

Nobilissimo & Eruditissimo Dn. MATTHIAE

HOE, collega & amico meo longè suaviss: S.

*V*ix respirasti: calidi iunctura cerebri
Fervet adhuc; sicca calet ultima venula linguae,
Et propè Theologis exutus es armiger armis.
Iam quasi desultoris ope, vicina sacrorum
Bellis redintegras Patrum, juvenemq; Iosephi
Castitiam, castumq; animum, boiasq; manellasq;
Et non speratum meditaris carceris usum.
Me verò litraam capere, atq; Poëtica pulvis
Ferre iubet crotala, & tibi parco applaudere versu
Vix annitor, HOE, tu viribus indolis acer,
Et studij fervore cales, non indigus ullo
Applausu stimulo, præis virtutibus annos.
Perge modò: dubiâ si perstas victor arenâ.
Et bene Theologi desudas pulveris astro,
Nobilis in nostrâ vernabit Leucore palma,
Et tibi promeriti crescent, me vate, triumphî.
Interea tacitis mecum tibi servio votis.
Et mea de sacra tibi defero tela pharetra,
Hujus ego saltem pars quantulacumq; duelli.

M. Fridericus Balduinus Dresde



AB

52

9
549

ULB Halle 3
003 140 237




sb.

Wort







Acc

TIO BIBLICA. XXIX.
KIX. Capite Gene

ad privatam συζήτηση
proposita

NE GESNERO, S. S.
Æ DOCTORE ET PRO-
publico, in Academia
Vitebergensi,

De qua
b. Anno 1599. Deo auxiliante respondebit

IAS HOE, NOBILIS
Austriacus.



VITEBERGAE,
hatur Typis Meißnerianis,
D. XCIX.

